



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. S. Pauli varia encomia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

ampliora Joseph dedit. v. 34. quàm fratribus munera. Hæc prædicat & Benjamin Paulus noster: *abundantius*, inquit, *omnibus illis laboravi*. I. Cor. 15. 10. Poculum in sacco Benjamin. Gen. 44. 2. Calix Passionis in corpore Pauli. Gal. 6. 17. *ego stigmata &c.* Per Benjamin designatur Paulus, qui ad literam de tribu Benjamin fuit; qui etiam novissimus fuit Apostolorum. S. Thom. Aqu. in Gen. 45. *Ibi Benjamin adolescentulus*. Pf. 67. 28. per quem intelligitur S. Paulus, qui fuit de tribu Benjamin. Bellarminus hic.

Pulcherrimus ille *velociter exarantis scribe calamus*. Pf. 44. 2. S. Gregor. Nyss. or. de occurfu Domini.

Quale vas (electionis) fuerit; patet per id; quod dicitur Eccl. 50. 10. *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*. Aureum propter fulgorem sapientiæ; solidum virtute charitatis; ornatum omni lapide pretioso, scilicet omnibus virtutibus. S. Thom. Aqu. in ep. S. Pauli in prologo.

Factus est, tanquam Evangelicus ille parvulus, de quo Dominus ait Matth. 18. 3. *nisi conversi fueritis &c.* S. Bernardus l. 2. in Convers. S. Pauli.

Paulus sagitta fuit Domini: qui postquam ab Ierosolymis usque in Illyricum missus arcu Domini, huc illucque, volitavit, ad Hispanias ire festinat; ut velox sagitta sub pedibus Domini sui Orientem, Occidentemque prosterнат. S. Hieron. ep. 140.

S. Paulus vas factus est; & quidem phiala, per quam verbum Divinum propinaretur. S. Gregor. Nyss. hom. 14. in Cant.

Sol quidam est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radijs illuminavit: quique, universas circumcundo gentes, cursum omnino solis imitatus est; ac Mundi regiones omnes quasi liberò à corpore animò pervolavit. S. Chrysof. hom. 8. de laud. Pauli.

Qualem rosam mittet Christo Roma? inquiebat de S. Paulo. S. Chrysof. hom. 32. in ep. ad Rom.

Non peccarit quis, si cor Pauli mare etiam, ac cælum, dixerit; cum ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, navigantes non à civitate in civitatem, sed à terra in cælum vehens. Si quis in hoc mari navigaverit, secundà aurà navigat. Non est in hoc mari ventus, sed pro vento Spiritus S. divinus, qui in ilo navigantes animas vehit. &c. Idem hom. 55. in Acta. Vide plura apud S. Chrysofomum de laudibus Pauli Apostoli.

S. Paulus ab Adriano I. ep. ad Episcopos Hispaniæ vocatur Mundi lilium, & rosa Ecclesiæ. Nadasi rosà 37.

§. II.

De nomine S. Pauli.

Cur is, qui Saulus dictus erat in actib⁹ Apostolorum, nunc Paulus dicitur? De qua re quibusdà visum est; quòd Pauli Pro-Consulis, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit: ut sicut reges solent,

devictis v. g. Parthis Parthici, & Gothis Gothici, nominari; ità & Apostolus subjugatò Saulo Paulus fuerit appellatus. Origenes in ep. ad Rom.

Consuetum erat apud Judæos, ut simul cum nominibus Hebraicis assumerent sibi nomina illarum gentium, quibus serviebant. Nomen autem Pauli celebre apud Romanos: quò nomine non videtur usus; nisi postquam cepit Gentibus prædicare. S. Thom. Aqu. in ep. ad Rom. c. 1. lect. 1.

Cùm Saulus vocatus esset de cælo, prostratus, mutatus; ubi cepit Apostolus, mutavit sibi nomen, & dixit se Paulum. Et hoc quare elegit? quia Paulus *modicus* est, & Paulus *parvus* est. S. August. l. 93. de div.

Nomen Paulus, secundum quod potest Hebræum esse, idem est, quod *mirabilis*, vel *electus*: Secundum autem Græcum idem est, quod *quietus*: secundum Latinum verò idem quod *modicus*. S. Thom. Aqu. lect. 1. in ep. ad Rom. c. 1.

§. III.

Conversio S. Pauli.

CAdens in terram. Act. 9. 4. Dubitatur, an Paulus pedestris, an equestris? Prima opinio: fecisse viam pedibus, quia nullius equi, vel equitis, fit mentio: & quia Paulus erat ex Phariseis, qui, utpote Religiosiores, rarò solebant equitare. Probabilius quòd eques: sic pictura ostendit antiquissima. Secundò iter erat longum, & ille vir nobilis, & dux eorum, qui eum comitabantur, ad alligandos Christianos. Sylveira hic q. 7.

Erat ibi tribus diebus non videns. Act. 9. 9. Lyran. scilicet visu corporali: videbat tamen visu mentali: quia secundum Doctores communiter, in isto triduo fuit raptus usque ad tertium cælum. Arcones in Is. 2. 4. Dif. 2.

Cadit miles diaboli, ut furgat signifer Christi. S. August. l. 4. in festo SS. Petri, & Pauli.

Vas erat fictile Paulus; sed evasit in aureum. S. Chrysof. hom. 6. in ep. 2. ad Timoth.

Decebat Christi hominem tantum Moyssem superare, quantum Evangelium præcellit legem. S. Asterius hom. de SS. Petro, & Paulo.

§. IV.

Varia encomia.

Divinus verè vir, communis noster ac præceptoris sol. S. Dion. Areopag. l. de div. nom. c. 7. de S. Paulo.

Paulum recito idoneum Juris divini Consultum: nam & Causidici habent hodie Paulum dictantem jura litigatorum, non Christianorum. S. August. l. 63. de V. D.

Omnem hominem Paulus exhibebat Deo. S. Chrysof. in I. Cor. 9.

Cordis illius pulverem videre vellem: quòd si quis totius orbis cor dixerit innumerorumque bonorum fontem, & principium, & elementum primarium salutis nostræ, non erraverit. Id. hom. 32. in ep. ad Rom.

Cor Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus S., atque charitatis volumen. Id. ib.

Idem

Idem hom. 3. in Gen. S. Paulum vocat: cœlestem animam, linguam orbis.

Si quis mihi orbem terrarum possidendum daret; solum Pauli unguem omni illò imperiò potentiorum esse arbitraret. Id. hom. 13. in 1. Cor. 4.

Vas dignum, & cœlestibus ferculis repletum; de quo & sanus escam, & infirmus accipit medicinam. S. Bernardus in festo SS. Petri, & Pauli f. 1.

Paulus vas electionis, revera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni pulvere pigmentariò. Id. f. 12. in Cant.

§. V.

S. Pauli charitas, zelus.

Baptizatus est ipse (custos carceris) & omnis domus eius continuo. Act. 16. 33. Cur portis carceris apertis Paulus, & Silas, non egrediuntur. Ob magnam charitatem: praevidebat enim Paulus, quòd, si cum socio exiret, custos carceris se occideret, ut intentavit v. 27. & baptismum cum familia non susciperet. Eligat permanere in carcere, nè deficeret in charitate. Sylveira hic. q. 12.

Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis. Act. 20. 19. Flebat ex compassione, tum ob Christianorum infirmitatem; tum etiam ob Judaeorum, & Gentilium, duritiam; quòd ad veram fidem traduci volebant. Id. hic. q. 5.

Ad tribunal Caesaris sto. Act. 25. 10. Cur Paulus, qui vehementer optabat mortem: *defiderium habens dissolvi.* Philipp. 1. 23. Nonne occasione datà eam differt? Pro sua eximia charitate magis eligebat servire utilitati aliorum, quam frui optatà Dei presentia. Sylveira hic q. 5. Illa faciebat, ut prædicationi insisteret; cumque multis hinc Credentibus, atque omnibus, coronatus, iret ad Christum. Metuebat profectò, nè pauper hinc, atque inops multorum salutis abcederet. S. Chryst. hom. 7. de laud. S. Pauli apud Did. Nis. Sabb. D. 4. Quadr.

Omnes non aliter dilexit, quam si illos genuisset; imò majorem, etiam quòvis patre, affectus paterni benevolentiam ostendit. S. Chryst. præfat. in ep. ad Rom.

De Pauli cervice, cum eam persecutor gladiò percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quam sanguinis. Quæ quidem res in S. Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ: sicut ipse ad Corinthios ait: *lac vobis potum dedi, non escam.* Quæ Pauli epistola non melle dulcior est? lacte candidior? quæ epistolæ tanquam ubera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. S. Ambros. f. 68. de Natali SS. Petri, & Pauli.

Juges ex eo lacrymarum fontes, non diebus solum, sed etiam noctibus affluebant; omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in singulis; propter quod etiam dicebat Gal. 4. 19. *filii mei, quos iterum parturio.* S. Chryst. de laud. S. Pauli.

Polyanth. Sacr. Tom. 11.

Peto, nè deficiatis in tribulationibus meis. Eph. 3. 13. S. Gregor. mor. l. 30. c. 7. minus dolebat in tormentis; sed magis de tormentorum suorum tentatione metuebat. Patvipendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filijs plagas cordis. Ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum; sed filios consolando curabat vulnera cordium. Pensemus ergo, cujus charitatis fuerit inter dolores proprios alijs timuisse: pensemus, cujus charitatis fuerit, filiorum salutem inter sua detrimenta requirere.

Nutritor pius, nisi totus fuerit redactus in parvulum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum. Denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, infirmat viscera, abjicit vires, gressum tardat &c. Hoc reor B. Paulum fecisse, cum dicit 1. Thess. 2. 7. *facti sumus parvuli in medio vestrum tanquam si nutrix foveat filios suos.* S. Chrysol. f. 62.

Quantam terram sol radijs suis illustrat, tantam curam, & sollicitudinem habuit Paulus. S. Chryst. hom. 11. in Gen.

Paulus charitate succensus totus factus est charitas: qui, quasi totius Mundi communis esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum etiam imitabatur parentes; imò cunctos, non carnales tantum, verum etiam spirituales patres, sollicitudine, ac pietate, superabat. S. Chryst. hom. 3. de laud. S. Pauli.

§. VI.

S. Pauli patientia, martyrium, labores.

Cur Paulus ad cœlum rapitur. 2. Cor. 12. 2. ad vincula & carceres festinus tendit. v. 13. 14. 15. Rapi ad cœlum, ex suo genuino significato innuit vim: à vinculis, & carcere, in Jerosolymis perpetendis non potest dimoveri. Mavult, & delicias majores habet, cum Christo, & pro eo, pati; quam cœli delictijs abundare. Sylveira in Act. 21. q. 2.

Abundantius illis omnibus laboravi. 1. Cor. 15. 10. S. August. in Pf. 130. Paulus plus omnibus laboravit, quia plus omnibus scripsit.

Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrij renascitur generositate. Tertullianus cui tit. Scorpiacus contra Gnosticos.

Semetipsum Deo per singulos immolabat: quam hostiam dupliciter offerebat, cum quotidie moriens, tum corpore suo mortificationem sine intermissione circumferens. S. Chryst. hom. 1. de laud. S. Pauli.

Tyrannos ipsos, ac pupulos, spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat: mortem verò, cruciatum, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum; dummodò propter Christum aliquid sustineret. S. Chryst. hom. 2. de laud. S. Pauli.